

cludit perfectionem, quam etiam causa formaliter concerne debet. Minor per se clara est nec indiget probatione.

§. II. Quamobrem nihil curamus Anthropomorphitas; nec vanitatem quorundam Judæorum, quarum opinionem fuisse notat Hieronymus *in cap. LXVI. Esa.* DEUM unō concludi locō, Templo nimis in Hierosolymitauo; nec Averrois incogitantiam, qui *Disp. M. t. XIV. dub. ult.* pueros esse dixit & ordinem causarum atque causatorum destruere, quotquot, ubique DEUM esse, temque omnem tangere, persuasum habent; nec Augustinum Eugub. qui *in Ps. CXXXI X. verba: si ascendero in cælum, tu illic es*: scripsit, DEUM essentiā suā tantūm in cælo, cognitione vero in rebus & locis hisce inferioribus esse, sicut Sol illuminatione suā; nec denique rudem & impium Vorstium Belgam, *in Lib. de DEO & Actrib. div.*

§. 12. Verum enim vero contra hanc sententiam multa solent objici, & quidem (1) *Quod divinæ naturæ magis appareat consonum*, ut ipsa in cælō maneat, nec se immiscat inferioribus, iis præprimis, quæ adire DEUM minus esset honestum ac necessarium. *Vide Esa. 66.1. Psal. 2. 4. Matth. 6. 10.* Rem declarant à simili à Regibus Persiæ desuntō, quæ magna in pompâ aut Susis aut Ecbatanis residencebant ac raro se dabant conspiciendos, per famulos potius & emissarios omnia dirigentes. Resp. Scripturam dicere quidem DEUM in cælō esse, at vero non dicit, DEUM tantum in cælo esse, imo oppositum potius significat, dum terram dicit esse scabellum pedum ejus; quō ipsō significat præsentiam Dei in terris. Quod autem Scriptura frequentius dicit, DEUM in cælō esse, id ex ea ratione fieri censendum, quia DEUS primarios de cælō producit effectus & de eō frequentius se manifestavit, quippe cum cælum locus divinæ Majestati dignior & apparitionibus divinis congruentior.

Et sa-